

JVVENTVTIS SCHOLASTICAE
EXAMINIBVS

diebus XV. Maii, feqq.

HABENDIS

VT FREQVENTES VELINT INTERESSE

INSPECTORES SCHOLAE
CLARISSIMI

SENATVS AMPLISSIMVS

ECCLESIAE MINISTRI REVERENDI

ROGAT HVMANISSIME

RECTOR

JO. GOTTFR. REYSMANN. A. M.



SCHNEEBERGAE,
TYPIS DAN. HEINR. FVLDII,

de Saltat Pyrrhicha.

Lit. Rom. B.

1305,56

Handwritten text, possibly a title or header, appearing as faint bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, possibly a title or header, appearing as faint bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, possibly a title or header, appearing as faint bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, possibly a signature or date, appearing as faint bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, possibly a signature or date, appearing as faint bleed-through from the reverse side of the page.



A pud Suetonium duobus in locis [Caes. 39. et Ner. 12.] mentio fit cuiusdam saltationis artificiosae, quae Pyrrhicha vocatur, nomine quidem graeco, vnde vero ductum sit veteribus ipsis certum non est. Varias sententias collegit Pindari interpres ad Pythionic. Od. II. v. 127. Διέλκεται, inquit, ἡ τῆς πυρρίχης ὄρχησις, πρὸς ἣν τὰ ὑπορχήματα ἐγράφησαν. ἔνιοι μὲν ἔν φασι πρῶτον κέρητας τὴν ἐνοπλον ὄρχήσασθαι ὄρχησιν. αὐθις δὲ πυρρίχον κέρητα. συντάξασθαι θάλητα δὲ πρῶτον τὰ εἰς αὐτὴν ὑπορχήματα. Σωσίβιος δὲ τὰ ὑπορχηματικά πάντα μέλη, κρητικά ἀξιοὶ λέγεσθαι. ἔνιοι δὲ, ἐκ ἀπὸ Πυρρίχης, τῆς κρητὸς, τὴν πυρρίχην ὠνομάσθαι, ἀλλ' ἀπὸ Πύρρα, τῆς Ἀχιλλέως παιδὸς. ἐν τοῖς ὅπλοις χρησαμένον, ἐν τῇ τῆς Πατρόκλου πύρρα τῇ πυρρίχῃ φησὶ κερῆσθαι, ἣν παρὰ Κυπρίοις φησὶ πρύλιν λέγεσθαι ὡς παρὰ τὴν πυρραὶ τῆς πυρρίχης τὸ ὄνομα θέσθαι. Rem ipsam valde esse antiquam et pertinuisse ad exercitia militaria patet ex eo, quod dicebatur ὄρχησις ἐνόπλιος, exercitatio iuuenum in armis, facta ad certos modos ac numeros sub aliquo magistro, qui hos dabat. Idem Scholiasta Pindari l. c. porro addit, ὁ δὲ Ἐπίχαρμος τὴν Ἀθηναίων φησὶ τοῖς Διοσκύροις τὸν ἐνόπλιον νόμον ἐπαυλῆσαι, Mineruam tibia praecinisse ac temperasse modos. Primi autem huius rei auctores dicuntur Curetes, qui, vt fraude surriperent Iouem paruulum voracitati parentis Saturni, facta saltatione cum armis tantum excitauissent strepitum, vt vagitus Iouis a Saturno audiri non potuisset. Curetes iam apud Homerum laudantur milites fortissimi, qui Aetolis bello inuictis, quo nomine insignes sunt apud Curtium, bellum intulerint. Locum, qui extat Iliad. I. v. 525. seqq. totum adscribere libet.

Κρηῆτες τ' ἐμάχοντο, καὶ Αἰτωλοὶ μενεχάρμαι,
 ἀμφὶ πόλιν Καλυδῶνα, καὶ ἀλλήλους ἐνάριζον.
 Αἰτωλοὶ μὲν ἀμυνόμενοι Καλυδῶνος ἑραυνῆς,
 Κρηῆτες δὲ διαπραδῆεν μεμαῶτες ἄρηι.

et paulo infra v. 584.

— — — ἐπὶ πύργων
 Βαῖνον Κρηῆτες, καὶ ἐνέπηρον μέγα ἄστυ.

Curetes ergo populus antiquissimus sunt, Chalcidem, Aetoliae urbem, Chalidoni vicinam habitantes. At Curetes etiam commemorantur, qui Phrygiam, et alii, qui Cretam insulam habitauerunt. Hos diuersos fuisse populos nonnulli volunt: Aetolicos quidem et Phrygios pro eodem populo habentes, Creticos vero plane alienos ab illis: quod nominis etymologia probari, cum illorum ductum sit ἀπὸ τῆς κρηῆς, tonsura, horum ἀπὸ τῆς κρηίζειν, iuuenem esse. [V. Adrian. Iunium de coma, c. 6. p. 535. f.] Sed illa inter Aegaeum atque Cyrenaicum mare sita insula maxima, recentioribus temporibus Creta appellata, pro Cureticae gentis natali solo, ac sede prima haberi posse, vnde illi Phrygiae et Aetoliae profecti sint, valde verisimile est. Antiquum etiam nomen illius fuit Curetis; sic terra Curetis apud Ovid. Metam. 8, 153. et apud Virgil. Aen. 3, 131. antiquae Curetum orae. cf. Plin. H. N. IV, 12. 20. et Solin. c. XI. Hos Curetes virtute bellica alios bello quoque strenuos superasse populos, adeoque hic ad Phrygiam vsque, illic in Aetoliam colonias deduxisse, armorumque vi atque audacia quoquo versus erupisse, intelligitur ex eo, quod Thucydides lib. I. c. 4. de Minoe, antiquissimo Cretensium rege scribit: Μίνως παλαίταλος ὢν ἀκοῆϊσμεν, ναυτικὸν ἐκλήσατο, καὶ τῆς νῦν Ἑλληνικῆς θαλάσσης ἐπιπλεῖστον ἐκράτησε καὶ τῶν κυκλάδων νήσων ἤρξε τε, καὶ οἰκιστὴς πρῶτος τῶν πλείστων ἐγένετο, κἄρας ἐξελάσας, καὶ τὰς ἑαυτῆ παῖδας ἡγεμόνας ἐγκαταστήσας. τό, τε λησικὸν, ὡς εἶκος, καθήρει ἐκ τῆς θαλάσσης ἐφόσον ἠδύνατο, τῆ τὰς προσόδους μᾶλλον ἵεναι αὐτῶ. Minos, antiquissimus eorum, quos auditu cognouimus, classem parauit, et maximam maris partem, quod nunc Graecum vocatur, in suam redegit potestatem, et Cycladum insularum imperium obtinuit, et in plerasque harum deduxit colonias, Caribus inde pulsus, et filios suos ibi constituit principes. Latrones etiam, vt verisimile est, sustulit e mari, quantum potuit, vt facilius ad se venirent reditus. Plura qui cupiat hac de re scire, inprimis

mis

mis vero quantum populo huic fuerit studium usquequaque coloniariū de-
 ducendarum constituendarumque, is adeat loca, quae Io. Meursius, in pe-
 culiari libello, quem inscripsit Creta, copiose congeffit: ex quibus patet,
 Curetes praeter partem illam Asiae minoris occupatam, velut Ioniam, Ca-
 riam, Phrygiam, penetrauisse ad usque Siciliam, Galliamque, et illic urbem
 Minoa, hic Viennam condidisse. Vtebatur autem iste populus eiusmodi
 legibus atque institutis, vt aliter fieri non posset, quin fortissimorum belli-
 cosissimorumque militum semper magna esset copia. Perpetua nempe lege
 tenebantur ἐκ παίδων ἀσκεῖν καὶ τοξικῇ καὶ ἐνοπλίῳ ὄρχήσει. Nicolaus Da-
 mascenus, apud Stobaeum, Ecloga XLII. de gentium moribus, οἱ Κρητῶν
 παῖδες, inquit, ἀγελάζονται κοινῇ μετ' ἀλλήλων σκληραγωγέμενοι, καὶ θήρας
 καὶ δρόμους τε ἀνάντεῖς ἀνιπόδητοι κατανούοντες, καὶ τὴν ἐνόπλιον πυρρῖχην
 ἐκπονῶτες. Pyrrhicham ergo natales suos, siue incunabula habuisse in Creta
 insula, plurimorum veterum fuit sententia, quod ab Eustathio ad Iliados ω.
 notatur. ἰσέον, inquit, ὅτι κατὰ τὰς παλαιὰς τὴν ῥηθῆσαν Κρητικὴν, ἢ
 πυρρῖχιακὴν ὄρχησιν οἱ πλεῖστος μὲν εἰς Κρήτας ἀνάγχουσι. Appellabatur porro
 etiam ὄρχησις κορυβαντικὴ, a Corybantibus, Rheae sacerdotibus, qui ipsi na-
 tione Curetes fuerunt. Sic Scepſius apud Strabonem lib. X. p. 466. qui
 in hac re locus classicus est, πιθανόν, inquit, Κρητὰς μὲν καὶ Κορυβαντὰς
 εἶναι τὰς αὐτὰς. Sed maxime fuit quaesitum, vnde ὄρχησις haec κρητικὴ
 nomen acceperit πυρρῖχη. Hanc denominationem nonnulli ductam fuisse
 putauerunt a quodam Pyrrhicho, uno ex Curetum numero, cuius mentio
 fit apud Pausaniam in Lacon. p. 108. edit. Wechel. quem Pyrrhichi, urbis
 cognominis conditorem fuisse tradit. Etiam Petr. Faber, Agonist. lib. I.
 c. 18. hunc auctorem Pyrrhichae saltationis fuisse suspicatur. Sed est alter
 eiusdem nominis a Nicol. Damasceno, apud Stobaeum l. c. commemoratus:
 τὴν ἐνόπλιον πυρρῖχην ἐκπονῶντες [παῖδες] ἦν τινα πρῶτος εὗρε Πύρριχος, Κυδων-
 νιάτης, Κρητὸς τὸ γένος. Κυδωνιάται, incolae urbis Cydoniae, vnius ex tribus
 Cretae nobilissimis, appellatae Graecis urbium mater [v. Flor. 3, 7.] occi-
 dentalem insulae partem coluerunt, auctore Staphylo ap. Strabonem l. c.
 Sed hic dissensus facile videatur componi posse: semel enim idem homo vo-
 catur nomine patronymico, iterum uero nomine proprio. Sed apud Athe-
 naeum, [Deipnosoph. lib. 14. p. 630.] auctoritate cuiusdam Aristoxeni,

Pyrrhichus hic non Cretensis, sed Laco vocatur, additurque diserte: Λακωνικόν δ' εἶναι μέχρι καὶ νῦν ὄνομα τὸν Πύρριχον. Hoc quamquam ad Graeciae populorum, in propriis maxime nominibus, differentiam inueniendam, interdum aliquam habere possit vim: hoc tamen in loco, quoniam Πύρριχος, cum κύριον, tum ἐπιθετικὸν ὄνομα, Doricum potius vocabulum sit, non valere animaduertit Casaubonus in Athenaeum lib. 14. c. 7. p. 902. Meurfius [Miscell. Lacon. lib. 2. c. 12.] haec compositurus, hunc nostrum Pyrrhichum, Cretensem quidem natione, genere vero Laconem fuisse censet. Hoc quodammodo illustrari posse videatur eo, quod habet Conon, Narrat. XXXVI. [in hist. Poët. Scriptt. antiq. a Th. Gale edit. p. 278.] vbi quidam Spartanorum associati Amyclaeis, patria pulsis, Cretam petiisse insulam dicuntur, et Gordynae, Cretensium vrbi occupatae, domicilium constituisse. Quid? quod Lacedaemonios fuisse, qui in monte Scylletio, vna cum Curetibus deponerent Iouem, tradit Stephanus, Σκυλλήτιον, ὄρος Κρήτης. οἱ παροικῶντες, Σκυλλᾶιοι. Σκυλλᾶιος γὰρ ὁ Ζεὺς ἐκεῖ τιμᾶται. ἐνθα φασὶ τὸς Κρητᾶς ἀποδέδει μετὰ τῶν Σπαρτιατῶν τὸν Δία. Lacedaemonii igitur commixti cum Cretensibus, cum sedibus mutatis, moribus etiam institutisque patriis relictis, instituta vivendique rationem Cretensium sequerentur, pro ipsis Cretensibus habitati sunt, quamuis origine essent Lacedaemonii. Hanc ob causam Pyrrhichus etiam dici potuit Lacedaemonius, qui, nisi ipse vnus aduenarum fuit, qui Cretam olim sibi quaesiuere domicilium, oriundus saltem, natusque fuit parentibus, qui genere erant Lacedaemonii. Sed haec de nomine Pyrrhicha.

Nunc rem ipsam videbimus. Cretenses, populus bello fortis ac strenuus, adolescentes mature exerceri curabat iis in rebus, quae ad bellum maxime erant necessariae, v. c. vt veloces in currendo, et prompti in mittendis telis, iaculis, sagittis, et quae id genus sunt alia, efficerentur. Cum autem singulis his exercitationibus nihil de esse videretur, quam vt ad certum aliquem modum descriptum irent cateruatim in ordines, manus confererent, et acie instructa pugnae imaginem referrent, Pyrrichus nouae cuiusdam rationis ac modi auctor fuit, quo Cretica iuuentus in posterum exerceretur. Extat apud Platonem de Legg. lib. VII. p. 579. edit. Basil. Pyrrhichae descriptio, ex qua, duo fuisse ὀρχήσεως genera, alterum τῆς εἰρηνι-

ειρηνι-

εἰρηλικῆς, alterum πολεμικῆς, apparet: atque hoc sic describit: τὴν πολε-
 μικὴν δὴ τρίτων ἄλλην ἔσαν τῆς εἰρηλικῆς, πυρρικήν ἂν τις ὀρθῶς προσαγο-
 ρέουσι τὰς εὐλαβεῖας πασῶν πληγῶν, καὶ βολῶν ἐκνεύσει, καὶ ὑπέξει πάση,
 καὶ ἐκπηδήσει ἐν ὕψει, καὶ ζὺν ταπεινώσει μιμημένην, καὶ τὰς ταύταις
 ἐναντίας, τὰς ἐπὶ τὰ δρασικὰ φερομένας αὐτῶν σχήματα, ἐν τε ταῖς τῶν τόξων
 βολαῖς καὶ ἀκοντίων, καὶ πασῶν πληγῶν μιμήματα ἐπιχειρῶσας μιμῆσαι.
 Haec latine sic exponimus: Harum [saltationum] hanc belligeram, ab illa
 placida diuersam, recte quis Pyrrhicham appellet: imitando exprimentem
 quascunque iaculorum telorumve petitiones euitatas, corpus declinando,
 pedemue referendo, item in sublime subsiliendo, contrahendoue genua:
 tum illas contrarias his exercitationes, quibus corporis agiles comparantur
 motus, non sagittis modo arcu mittendis, aut lapidibus funda excutiendis,
 sed quibusuis etiam armorum tractationibus, imitationis causa susceptis.
 Ex hac descriptione intelligimus, hanc ὄρχησιν armatam, ad exemplum il-
 lius ὄρχήσεως, a Pyrrhicho olim institutae ad belli praelusionem, vt rem
 ludicram fuisse tractatam, totumque artificium constitisse in scito corporis
 motu veloci, variisque gesticulationibus. Hinc etiam sexus sequior hanc
 exercebat artem, cuius exemplum habemus apud Xenophontem, Expedit:
 Cyri, lib. VI. vbi muliercula Saltatrix, vestitu magnifico, clypeolo instructa,
 scienter saltasse Pyrrhicham dicitur. Postea cuique artificioso saltandi generi,
 atque inprimis histrionicae tributum fuit nomen Pyrrhichae. Hoc non modo
 ab interprete Pindari animaduertum est, sed etiam apud Athenaeum Deipnos.
 l. c. legimus, οἱ παλαιοὶ γυμναζόμενοι πρῶτον ἐν τῇ γυμνοπαιδικῇ εἰς τὴν πυρρί-
 χην ἐχώρουν, πρὸ τῆς εἰσιέναι εἰς τὸν θέατρον. Ita paulatim antiqua illa Pyrrhi-
 cha militaris in rem ludicram est conuersa, mansit tantum apud Lacedae-
 monios res seria, et adhibebatur in erudiendis adfuefaciendisque pueris ad
 belli labores, quod eodem Athenaei loco iam citato diserte traditur: ἡ δὲ
 Πυρρική παρα μὲν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν ἔτι παραμένει — παρα μόνοις δὲ Λα-
 κεδαιμονίοις διαμένει προγύμνασμα ἔσα τῆς πολέμου. ἐκμανθάνουσι τε πάντες
 ἐν τῇ Σπάρτῃ ἀπὸ πέντε ἐτῶν πυρρικήζειν. Apud reliquos Graecorum popu-
 los tandem mimica saltatio facta et in Dionysiis vsurpata est, vbi saltantes
 loco gladiatorum, ac telorum instructi erant thyrsis, ferulis, facibusque,
 quod idem Athenaeus l. c. docet: ἡ δὲ καθ' ἡμᾶς Πυρρική Διονυσιακή τις εἶναι
 δοκεῖ, ἐπιεικεστέρα ἔσα τῆς ἀρχαίας. ἔχουσι γὰρ οἱ ὄρχόμενοι θυρσας ἀνλιδορα-
 τῶν

των προΐενται δ' ἐπ' ἀλλήλους καὶ νεφεθικαῖς καὶ λαμπάδας φέρουσι, ὀρχῶνται
τε τὰ περὶ τὸν Διόνυσον καὶ τὰ περὶ τῆς Ἰνδῆς, ἔτι δὲ τὰ περὶ τὸν Πενθεά.
τακτέον δ' ἐπὶ τῆς πυρρικής τὰ κάλλιπα μέλη, καὶ τῆς ὀρθῆς ῥυθμῆς.
Postea frequentatum est hoc Pyrrhichae genus in ludis scenicis, cuius descrip-
tionem nobis dat Apuleius, Metamorph. lib. X. Puelli, puellaeque virenti flo-
rentes aetate, forma conspicui, veste nitidi, incessu gestuosi, graecanicam
saltantes Pyrrhicham, dispositis ordinationibus decoros ambitus inerrabant,
nunc in orbe rotatim flexuosi, nunc in obliquam seriem connexi, et in qua-
dratum patorem cuneati, et in cateruae discidium separati. Sed facies eius-
modi Pyrrhichae non semper fuit vna eademque, sed singulae pendebant
maxime ex variis carminum generibus, quorum auctores saltatoribus etiam
describentibus numeros, modos ac tempora, et ab his etiam nomina sua acci-
piebant. Hinc apud Aristophanem Ran. Act. 1. Sc. 2. commemoratur Pyrr-
hicha Cinefii, quem Scholiasta ad locum illum διδυραμβοποιὸν vocat. De
Phrynicho illo, quem commemorat Aelianus V. H. 3, 8. factum ab Athe-
nienibus exercitus ducem, non per studia partium, neque generis nobilita-
tem et eminentiam, neque per diuitias, sed per carmina sua ad Pyrrhicham
composita, omnino videndus Perizonius ad l. c. Tandem etiam apud
Romanos, ut pleraque ludorum graecorum genera, ira et Pyrrhicha in
consuetudinem venit, usurpata maxime in pompa Circensi, auctore Dionysio
Halicarn. lib. VII. Antiquitat. Rom. ubi describens ordinem, quo ducta sit
pompa illa, Pyrrhichistas, insequentes athletas, eosdemque exceptos a Saty-
rillarum choris commemorat. Sed haec hactenus, quae adhuc supersunt,
alio tempore, si Deus vitam siuerit, addentur.

Vt iuventutis nostrae fructus studii atque industriae collecti semestri
superiori consent, auctoritate publica habebuntur lustrationes diebus in ti-
tulo dictis: quibus frequentes ut velint interesse, quicumque Scholasticam
rem e republica esse, salutemque eius ac florem augeri firmarique iue-
num educatione recta et diligenti censent, imprimis vero ludi nostri literarii
Curatores atque *Inspectores*, *Senatus totus*, *Ecclesiae doctores*, omnesque lite-
rarum fautores, et nostro et Scholae nomine optamus et humanissime roga-
mus. P. P. Dom. Cantate. Anno c̄l̄o l̄o CCLXXXVI.

